

VITA
ILLUSTRIS AC MAGNIFICI
HEROIS
GEOR. FARENSBACH

PALATINI OLIM VENDENSIS &c&c.

QVAM

DAVID HILCHEN

SECRET. S. R. M. NOTAR. TER. VEND.

In perpetuam cultus & observantiz testi-
ficationem descripsit eidemque

Stemma Literas extremas at-
que Epitaphia adiecit.

ZAMOSCHII EXCUDER. MART. LENSICIUS
Typogr. Acad. A. D. MDCIX. Recus. Ruyni
Imperante ALEXANDRO S. A. 1803.

QVIS EVADET.

ΕΠΙΤΥΜΒΙΟΝ



N hac tumba conditus est, Illustris ac
Magnificus Dominus GEORGIUS FARENS-
BACH, Hæres Karkusii, Palatinus Vendenſis,
Nobilitatis Livonicæ Præfectus, Taurusenſis
Lemsalienſis Ruinenſis Capitaneus, natus A. Chri-
ſti 1552, patre Volmaro Farensbachio, matre
Curſelia, vtraque familia nobiliſſima & antiquiſſi-
ma, omnium primus inter Seculares ex Livoni-
bus in Senatum Regni ob ſingularem fidem &
eximias virtutes adſcitus. Vere & ſine fuce, ma-
ximi animi, & conſilii vir fuit, bellicarum aliquot
expeditionum Dux, complurium autem Præfectus
clariffimus: Periculis nullis vnquam ſuccubuit.
Facie heroica, corpore procero & eleganti, fa-
cundia ſingulari, iudicio de magnis rebus maxi-
mo: ab omni ſævitia, avaritia, fuce alienus: vno
autem verbo virtutum omnium exemplum. Qui
dum ad Felinum pro Rege & Regno contra Ca-
rolum Sudermannia Ducem fortiter pugnat, in
ſecundo irruptionis ardore per alvum & dexte-
ram die 15 Maji traiectus, poſtea die 17 eiudem
Menſis glorioſe ex vulnere eo occubuit, non ſuccu-
buit. Talia ſunt fortium virorum facta. Itaq; Mars
fortiſſimum quemq; pignorat. Corpus hac tumba
incluſum iacet. Memoriam tanti Viri merito om-
nis poſteritas colat. Ei David Hilchen Secretarius

Regiæ Maiestatis, Notarius Terrestris Vendenfis,
quod tanto Patrono debuit, hoc cultus & obser-
vantia æternum symbolum ære suo posuit.

GENEROSISSIMIS
ADOLESCENTIBUS WOLMARO Tarvasten
JOANNI Lemfaliens. CAPITANEIS
FARENSBACHIIS
FRATRIBUS GERMANIS
S.

CASUM Patris Vestri magni, rarique Herois
Vobis quidem ceu liberis luctuosum esse credibi-
le est. Ego vero qui bello, quo cecidit, inter-
fui, peracerbum esse mihi sentio, quod ne vna-
quidem, ex tanto intervallo, prædicatione, vel
potius perpetua recordatione, gloria illius cele-
bretur. Hoc n. superest vnum illis, qui pro Pa-
tria cadunt, vt quemadmodum olim cœpit viro-
rum fortium laudandorum mos, ita nunquam
desinat. Et si non olim extitisset, vel trium il-
lustrium Heroum SOLICOVII Archiepiscopi Leo-
polin. ZAMOSCI illius magni Cancellarii, &
summi Exercituum Regni Ducis, nec non FA-
RENSBACHII funera, meritis suis efficerent, vt
nunc inciperet. Quam quidem consuetudinem
cum recepta sit, ego ingentis amoris magnitudi-
ne ductus, hac oratione in Patre Vestro, qui primus
cecidit pertextere constitui. Cæteri duo habent suos
præcones, me tamen quoque qualem qualem habi-
turi. Non n. committam, vt quorum olim vsus
sum, & nunc fruor beneficio, illi non vtantur offi-
cio meo, hoc est meritorum suorum gloria, ac lau-
de sempiterna. Maturius id fecissem, sed fatius

duxi expectare ætatis vestræ quandam maturitatem: tum etiam curæ & calumniæ, de quibus hic non est querendi locus, meam sive diligentiam, sive consuetudinem tardiolem fecerunt. At tamen vel maximarum miseriarum memoriam componere tempus solet, mihi tamen nihil de summi illius doloris acerbitate istud intervallum detraxit, & quod illis usu venit, qui in mari vehementioribus fluctibus iactati, & in littus projecti sunt, quamvis extra periculum sint positi; tamen metum non possunt deponere: idem mihi quoque accidit. Etsi n. defuncto casus iste ad famæ immortalitatem gloriosus sit, & nomini Vestro per omnem posteritatis memoriam honorificus: tamen nescio quomodo fiat, ut illa vulnera & illi cruciatus perpetuo mihi versentur ob oculos, illi gemitus aures meas percutiant, atque me vehementius percillant. Amoris hæc vis est. Ego igitur inflammatus, mitto Vobis totam vitæ Patris Vestri historiam, ad ultimum diem perductam. Habetote hoc exemplum pro vitæ regula. Illud Vobis proximum est, imo perfectius & magis proprie ad Vos pertinens, quam celebrata scriptis veterum regula Polycreti ad illius disciplinæ alumnos. Ego vero polliceor summa de Vobis mihi omnia, quia scio Vos Patris in omnia similes futuros. Fieri enim non potest, ut ista indole, istis fundamentis artis

& Martis, ista animositate in eo spatio subsistatis, in quo percurrentes sine dubitatione metam contingeretis, sive potius contingetis. Quæ cuiusmodi esse debeant, exemplum, quod Vobis propono paternum intuentes, ignorare non potestis. Floruit ille omni genere laudum, florebitis Vos etiam illum imitando. Fuit Reipublicæ ac Patriæ ornamento & auxilio, itidem ut Vos sitis operam date. Viget apud S. R. M. Dominum nostrum clementissimum meritorum, virtutumque Patris Vestri memoria, & dum hoc Regnum stabit, (quod utinam sit immortalè) semper in hac Republica vigebit. Hanc refricatote Vestra propria virtute. Lusus erit, mihi credite, paternas fortunas instaurare, paternos honores assequi, S. R. Maestate Parentis optimi memoriæ & virtuti favente. Favorem autem Regium vnica virtus conciliat, quam ut consequamini, decet Vos pergere, quemadmodum cœpistis, in hoc virtutum curriculo. Cogitate magnam Vos expectationem suslinere virtutum omnium, qui talem Patrem habuistis. Deum etiam Opt. Max. esse spectatorem actionum & cogitationum Vestrarum, qui amplissima præmia omnibus bonis vult, & potest tribuere. Ego de Vobis sic confido, ut etiam sine præmio Patris similes Vos futuros augurer. Sed me quoque Patris Vestri exemplo, (cuius Vos Ipsos testes

appello) amate, a quo Vos sincere amari iam pridem intelligitis. In hoc vero studio Vos imprimis mihi tanto propensioribus animis adesse debetis, quo eorum, quæ de Patre Vestro a me verius fortassis dicta sunt, quam alienæ virtutis ocores vellent, maximam præclarissimamque partem Vobis Ipsi, ceu liberis vindicandam esse censeo. Valete. Orissoviano: Kall. Januarii. Ineuntis anni 1609.

VESTER

David Hilehen Secr. Sacr. Regiz M.
Notarius terrestris Vendenfis.

VITA
ILLUSTRIS AC MAGNIFICI
HEROIS
GEORGII FARENS-
BACH

Palatini olim Venden, &c.

Magnorum Virorum funera, luctune, lacrimisque an laudibus magis prosequenda sint, non immerito fortassis dubitare quis possit. Nam & summam virtutem e medio sublatam, extinctamque quis non doleat? Et cum ab ipsis, non solum omnem vitam summa cum dignitate, laudeque actam intelligat, sed mortem etiam aut felicem, aut gloriosam certe obtigisse iis recolat, non potius præclare cum iis actum, talemque vitam & mortem gratulandam magis illis, quam excessum ex hac vita illorum lugendum putet.

Sed ut fortassis in clarorum hominum exequiis luctus, muliebrisque planctus abesse debet: ita memoriam certe eorum gestarumque ab iis rerum, omni genere monumentorum conservandam nemo est qui dubitet, non solum quod meritis eorum id debeatur, sed non minus, quod ad alios ad virtutem excitandos virtutis eorum

exemplum, si fieri possit æternum extare, publice etiam intersit.

Quod si a multorum seculorum memoria ex Livonibus quisquam fuit, qui omnium ætatum prædicatione dignus esset, GEORGIUS FARENSBACH profecto is fuit, cuius singulares virtutes, omnemque vitam rebus præclare gerendis transactam non præsens modo seculum sed subsequencia omnia perpetua memoria recolant.

Itaque quamvis mihi quidem, quantum a me præstari possit, memoriæ eius perpetuo conservandæ, peculiariter etiam multæ, magnæque causæ sint, vel vna tamen ista, quam ostendi, satis mihi iusta visa est, ob quam quantum in me esset, post mortem etiam tanti viri memoriæ non interire paterer, orationeque hac mea eius recolenda munus in me susciperem.

Ac si quidem quantum mihi doloris mors eius attulit, tantum ingenii, eloquentiæque natura tribuisset, ostenderem certe, quæcunque virtutes in optimo Reipublicæ Cive, in prudentissimo Senatore, bellicosissimo Duce existere possent: tantas tamque insignas in eo fuisse, ut nemo unquam vel laborem in negotiis, vel fortitudinem in periculis, vel industriam in agendo vel celeritatem in conficiendo, vel consilium in providendo eius desiderare potuerit.

Verum cum eloquentiæ nihil, ingenii parum omnino a natura mihi concessum, facile ipse agnoscam, & si quid fortassis eius aliquando in me fuerit, id cum dolor ex eius morte acceptus, tum maxime temporum iniquitas, adversariorumque meorum iniuriæ, quibus per aliquot annos acerbissime, præter meritum meum premor, in me extinxerint, miretur fortassis aliquis, cur in non parvo numero amicorum quos summa ingenii laude FARENSBACHIVS magna necessitudine iunctos habuerat, a me vno, a quo minime sustineri posset, onus hoc memoriæ eius celebrandæ susceptum sit.

Verum mirari, ut spero, quilibet desinet, cum progressu Orationis, suo loco, quantum præ omnibus ego illi debeam, ostendero: atque æquum vnumquemque iudicem non quid poterim, sed quid debuerim spectandum mihi fuisse, statuturum puto.

Ego vero præterquam quod pietati in illum meæ, si non re ipsa, voluntate certe aliqua ratione satisfacturum me confido: id etiam affecuturum me spero ut cui ipsi facultatis tantum non suppetat, ut quam tanti viri virtus laudem mereatur, oratione mea exprimere possim, aliis maiore ingenio, eloquentiaque præditis, materiam aliquam laudum eius prædicandarum subministrarem.

Ut igitur quam brevissime rem aggrediar, prius

quam de vita, rebus gestis, moribusque ipsius commemorem, pauca quædam de genere, maioribusque ipsius dicenda mihi existimo.

Natus igitur G. Farensbach fuit anno salutis humanæ supra millesimum quingentesimum quinquagesimo secundo, in nobili parte Livoniæ Esthonia Parentibus Nobilissimis, Wolmaro Farensbachio, matre Curselia: Curseliorum familia a prima memoria Nobilitatis Livonicæ, inter cæteras imprimis clara opibusque dignitate florens fuit.

Farensbachia ab arce Farensbachiana ad Rhenum prope Coloniam Agrippinam sita, originemque nomenque trahens, ipsa quoque cum antiquitate, turp meritis in patriam, splendoreque & dignitate facile inter primas semper habita fuit.

Tam splendidis maioribus ortus, nunquam tamen ille magis generis nobilitate, quam virtute: maiorum imaginibus, quam rebus præclare gestis: dispositis stemmatibus insignibusque, quam meritis in patriam, ad veram gloriam contendendum sibi putavit: nunquam ille genus suum iactavit, nunquam quæquam præ se contempsit; quod plerique facere solent, qui dum maiorum suorum facta, sua putant, aliena gloria se magnos existimant: re ipsa potius ostendere voluit, in se quoque recte id dictum, Fortes ex Fortibus nasci: Et fontium Candorem rivorum puritate demonstrare maluit.

Pater Wolmarus cum ingenio, prudentia, doctrina, & dicendi copia reliquis fere sui Ordinis hominibus antecederet, difficilibus Livoniae temporibus bis ad Pont. Max. & Imperatorem Legatus, magna cum laude, fideque legationibus iis functus fuit. Georgio autem admodum puero mortuus undecim filios reliquit. Octo ex iis impuberes decessere, tres ad iustam ætatem pervenire.

Vnus Guilihelmus certarum copiarum in Finlandia Legatus, ultra triennium a Carolo Sudermannia Duce ob fidem Serenissimo Regi Principi suo constantissime servatam, in carcere, vinculisque habitus, iam vero haud ita dudum dimissus, etsi nullas in Livonia possessiones haberet, durissimam tamen captivitatem perferre maluit, quam a fide semel data discedere.

Alter Conradus miles egregius, cum in pueritia Germaniam, Galliam, Italiamque peragrasset, adolescens in Comitatu Christophori DZIERZECK Viri nobilissimi atque ad portam Turcicam Oratoris Regii, Turcicam etiam aulam invisendam, perspicendamque sibi putavit. Unde reversus, prius quam virtus eius omnino maturescere posset obiit. Cum n. turbatis in Livonia rebus inter continua cum Moscho bella literæ minus tum in Livonia vigerent, filii patre orbat ad militiam grave Martis opus, omnes animum applicarunt. Quod quid aliud est, quam vitam, quæ alias

naturæ debetur, pro patria profundere paratum esse, vltro profiteri? Ob maiorem autem eius vsum assequendum, non in domesticis solum bellis rudimenta ponenda sibi iudicarunt, sed in aliis etiam plerisque Europæ Regnis disciplinam eius sibi persequendam.

Itaque pluribus in bellis per Europam fortiter versati sunt: adolescentiamque suam ad scientiam rei militaris non alienis præceptis, sed suis laboribus, vigiliis, periculis instruxerunt.

Verum præ reliquis Fratibus GEORGIUS natu maximus heroicæ indolis adolescens, de quo hæc nobis instituta oratio est, neque ipse nisi magna spirabat, neque se deserebat, etiamsi a fortuna desertus videretur, ad militiam, muniaque bellica cum animo tum corpore, omnium iudicio maxime a natura quasi factus, comparatusque fuit. A prima enim innox pueritia excellentis animi, & ad maxima quæque tendentis, indicia dedit. Itaque quod illi ætati raro tribui solet, vix decimum nonum egressus annuum militum Præfectus designatus, ita in Præfectura ea se gessit, ut fortissimi militis specimen ubique ederet, magnamque apud omnes laudem sibi conciliaret, cum nec cum ignavis & desidibus, sed fortissimis quibusque virtute ad laudem decertandum sibi putaret. Præcipuis autem fere Europæ præliis interfuit, cum maxime idem in Livonia Patria sua, postea vero in

Gallia, modo Belgio modo Svecia stipendia faceret, fortem autem strenuumque, ubique se militem præberet.

In Vngaria vero cum Turcarum Tyrannus Solymannus Sigethum oppugnaret, ipse quoque exercitum, signaque Maximiliani Cæsaris secutus, non exiguam in eo bello laudem ipsius Maximiliani testimonio, ut in cuius aulam postea receptus fuerit, meruit. Maxime tamen primæ istius ætatis tyrocinia Moschica contra Tartaros militia nobilitavit.

Ad quam cum hostis Livoniæ Moschus esset, divinitus quodam modo & fato, quo virtus eius magis illustraretur, pertractus mihi videtur. Cum enim ex ea Livoniæ parte ad Esthoniæ pertinentem quæ Wika vulgo dicitur, propriæque natale solum eius erat, legatus ad Basilium Magnum Moschoviæ Ducem, missus esset; illo legatione vix defuncto, ii, a quibus missus erat, per occasionem aliquot Livoniæ Castella a Moscho olim occupata, contra Jus Legationis interceperant. Farensbachius in suspicionem fraudis, doli que a Moscho vocatus, custodiæ mox traditus, inque vincula coniectus fuit. Comites eius a notissima Tyranni crudelitate, nihil aliud in horas, quam certam mortem expectantes, in squalore ac metu iacebant: ne ipse quidem Farensbachius vitam sibi pollicebatur, sed tamen nulla in æroris, aut timoris

significatione data, non sine maxima Tyranni admiratione erecto semper animo fuit. Sub idem autem tempus Scytharum exercitus maximus in Moschoviam irruperat, omniaque ad ipsam fere Regni sedem igne ferroque vastabat. Moschus & virtutis eius admiratione & necessitate adductus, cum illo agit, vitam libertatemque quam ob ruptas inducias violatumque a Provincialibus Jus Legationis commisisset, maxima atque amplissima præmia ei pollicetur, si equitatu aliquo Germanico, quem atrum tunc vulgo vocabant, confecto, contra Scythas quoad bellum id duraret, servire sibi veller. Quid faceret? Cedendum tempori, vitamque melioribus suis, & Patriæ temporibus servandam ratus, equitatum mox aliquem Germanicum maxime ex Livonibus contrahit. Cumque universo fere exercitui Moschus eum præfecisset, atque ex eius consilio bellum administraretur, tam strenuam fidelem utilemque operam in bello eo profligando Moscho præstitit, ut clarissimam & memorabilem contra Scythas victoriam ad Occam fluvium a Moscho obtentam, illius solius virtuti fere acceptum Moschus ferret. Itaque magnis præmiis remuneratum, maioribus propositis vnice retinere eum apud se cupiebat. Verum cum Farenbach. magis libertatis suæ, quam fortunæ memor, eandemque ac Patriæ calamitatem omnibus aliis rebus anteponeret, cum de promisso eum

appellare, tum instanter vrgerere non desistit. Itaque frustra Moschus retinere eum se videns, cum ditatum, tum multis magnisque a se honoribus, præmiisque affectum benigne tandem a se dimisit. Is non multo post Livoniæ status consecutus fuit, qui extremum fere interitum illi attulit.

Sigismundo n. Augusto Rege mortuo, cum Moschus per magnum Holsatiæ Ducem in fraudem Livonibus plerisque inuictis, vniuersam fere Livoniam partim occupasset, partim igne ferroque ad ipsam usque Rigam Dunamque flumen vastasset, ut in interregno, ab omni ope, auxilioque destituta Livonia erat.

Quamprimum tamen nova Henrici Regis electio animos hominum rursus in spem melioris fortunæ erexisset, ad inaugurationem eius ipse quoque Cracoviam se contulit: partim opem patriæ ab eo imploraturus, partim operam suam ipse etiam ad bellum id Patriæ suæ apud eum delaturus, cum non multo post repentinus rursus Henrici in Galliam discessus, ut aliorum spes omnes destituit, ita Farensbachium quoque non tam de patria desperare, quam dum feliciora tempora expectaret, alia interim consilia capere coegit. Itaque inde in Maximiliani Cæsaris, in cuius ante ad Sigethum exercitu militaverat, aulam se contulit. Verum ibi quoque remotiores a suis, Patriæque suæ rationibus spes ac locum sequi

se animadvertens, eum quoque non multo post mutandum sibi statuit.

Erat ea tempestate Fridericus II. Daniæ Rex magna inter Principes Europæ cum prudentiæ, tum benignitatis in exteros fama. Itaque frequens externa etiam Nobilitas aulam Regis eius frequentabat. Habebant eum pro Patrono exules: habebant etiam Musæ. Nec erat virtutis præsertim bellicæ hoc Rege quisquam censor acrior, qui quorum nosse vellet animos non per alios, sed ipsemet exploraret. Ad eum igitur ut Livonicis rebus viciniorem, coniunctioremque, & magna liberalitatis apud omnes fama eum ipse quoque se contulisset, tantum brevi gratia, auctoritateque apud illum valuit, ut non solum benigne in familiam suam eum reciperet, sed non multo post Marschalcum etiam, qui summus fere ut scimus, in aula Magistratus & familiæ aulicæ quasi caput est, eum crearet: a quo tempore cum summa industria, prudentia & dignitate negotia omnia administrare eum videret, & indies multis magnisque muneribus etiam extra ordinem cumulari honoribusque affigere ita non desistit, ut ad extremum Oseliam insulam ad Livoniam olim pertinentem, Livoniæque imminentem, non exiguorum sane fructuum vere regio animo ei donaret.

Stephano interim Rege electo, cum ab Imperio eius Gedanenses dissentirent, armisque ad

consensum aliorum a Rege adducerentur: Farenbach autem cum gratiæ Danicæ, tum virtutis fama inprimis tum clarus esset, a Gedanensibus, ut illorum stipendiis cum mercenario milite opem illis ferret, sollicitus, ascitusque fuit. Vir militaris in fluctuantibus, dubiisque rebus, quod in promptu erat, arripuit: de Regum iure nihil ad iudicium suum pertinere iudicans, cum & nominis famæque suæ propagandæ & virtutis exercendæ nullam sibi occasionem intermittendam existimaret, Regem autem Danicæ, cuius tum beneficia maxima habebat, in gratiam Gedanensium non nolle id animadverteret, conditionem accipit. Quoad in gratiam Civitas a Stephano Rege reciperetur, fortem fidelemque operam illi præstitit. Quare tantum abest, ut sapientissimi, prudentissimique Regis Stephani animus offenderetur, ut hic potius quasi primus gradus ad notitiam, gratiamque Regis illi fuerit. Civitate n. pacata, cum ad salutandum Regem ipsi quoque aditus patuisset, moxque & virtutis eius fama, & formæ dignitas, magnam ille apud Stephanum Regem gratiam conciliaffet, cum pro Livonia recuperanda contra Moschum bellum se parare ostendisset in eamque militiam ipsum quoque invitaret, promptissimo mox animo occasionem arripuit.

Neque vero Danicæ Rex tam honestæ voluntati

ipsius refragandum putavit: neque invitus cum cupiditati eius laudis militaris, tum maxime amori, pietatique in patriam Livoniam locum dedit.

Itaque consensu, voluntateque Regis Daniæ cum priorem expeditionem Polocensem tempore exclusus obire non potuisset, in secunda Lucense cum ornatissima fortissimorum equitum turma advolans, fidelem & felicem operam patriæ navare, & gratiam Stephani demereri cœpit, perque omnem illam expeditionem in plerorumque Castellorum Moschoviticorum ipsorumque Lukorum oppugnatione, vel voluntariam, ita vtilem, fortemque operam Regi, Reipublicæque præstitit. Tertia vero expeditione Moschoviensi duo millia etiam peditum Germanorum stipendiis Regiis duxit, quibus ad pacificationem usque in bello præfuit.

Cum meritis hisce eius, tum sumptibus, quos maximos fecisse eum sciebat Stephanus Rex permotus, tum vero virtute etiam allectus, non modo ut merita, sumptusque eius remuneraretur, sed quo in posterum etiam eum sibi devinciret, cogitare cœpit. Habet n. hoc eximia virtus, ut laudatissimorum Principum animos permoveat, & benevolentiam, bonis gratulantibus aliis invidentibus obtineat. Hoc nisi fit omnis virtus extinguatur brevi, & omnes orbis partes simul occupet

Calamitas. Partim igitur amplissimas aliquot possessiones, partim stipendium, partim honores in Livonia primarios illi detulit. Quæ cum minime contemnendâ illi viderentur, sine scitu tamen voluntateque Daniæ Regis, cuius maxime beneficiis euectus fuisset, accipienda sibi non putavit.

Re igitur ad illum relata, huiusmodi responsum accepit, quo ipsius voluntati, atque arbitrio tota res permetteretur. Consciis itaque sibi & sinceræ, constantisque voluntatis suæ, fideique, quam utrique deberet, memor, cum nihil minus verendum sibi existimaret, quam ut eam ob rem quæ iudicio suo permissa esset in suspensionem aliquam apud pristinum Principem suum Daniæ Regem veniret, conditiones a Stephano Rege oblatas ita accepit, ut obligatione ea, qua Stephano Regi se devinciebat, Daniæ nihilominus Regem cuius maximis beneficiis obstrictus esset exciperet. Quem admodum exitus tamen postea docuit, ne sic quidem offensionem eius vitare potuit; sed eam quidem in præsentia dissimulatam, mox alius casus inopinatus, repentinusque aperuit.

Magno enim Holsatiæ Duce, Daniæ Regis fratre sub id tempus mortuo, cum incolæ Episcopatus eius ad Daniæ Regis imperium, patrociniūque se contulissent, ipseque Daniæ Rex, si non aliud, ob certam tamen pecuniam, quam Mater Magni in Episcopatum eum intulisse dice-

batur, ius aliquod in Episcopatum eum sibi vindicaret, gravi ea de re inter duos reges contentione exorta, eo tandem progressa fuit, ut ad arma etiam deveniretur: Rexque Daniæ ut Bellius, provincialumque tuendorum curam susciperet Farensbachium appellaret. Farensbachius cum quod utriusque principi deberet ostendisset, munere eo recusato, ut ab eo bello quo alteruter offendendus esset, abesse sibi liceret, petit.

Non parva ea ad superiores suspiciones accessio fuit: multo maior autem, quod cum Illustr. Curlandiæ Dux, iussu Stephani Regis ex lege beneficii, feudive nobilitatem omnem suam ad bellum id evocasset. Farensbachius autem iure dotalitio amplas aliquot possessiones in Ducatu eo tum possideret, ex formula bonorum ipse etiam equites aliquot contra Piltenses mittere necesse habuisset, resque illa criminofius fortasse aliquanto ad Daniæ Regem delata fuisset.

Minime hic tantum mihi arrego, ut in actiones Regum Principumque inquirendum mihi putem, vel de factis eorum iudicium mihi sumam. Quamvis quis est, qui in huiusmodi rebus non tam Principes ipsos, quam eos potius qui (omnium aularum inevitabile malum) aures Principum oblectas tenent, accusandos putet? Exitum ipsum igitur rei solum dicam, qui is fuit, ut controversia quidem illa de Episcopatu Curoniæ inter Reges

interventu Illustrissimi Principis Georgii Friderici
 Marchionis Brandenburgensis componeretur, cum pecunia ea, quæ in Curoniam a Matre
 Magni illata dicebatur, ab ipso Marchione ex-
 soluta, possessioneque eius interim ab illo accep-
 ta, Domino, Jureque suo Poloniae Regi Danus ce-
 deret. Farensbachium autem Rex alioquin pru-
 dentissimus, & clementissimus, non Osilia so-
 lum, aliisque beneficiis, quæ in eum contulerat,
 sed omnibus plane fortunis exueret. Gravis ea
 illi plaga fuit, sed quæ tamen de gradu constan-
 tiæ eius minime deicere eum potuerit. Con-
 sciis enim, nihil contra officium tam benefico
 antehac in se Principi debitum, a se admissum:
 quæ nulla sua culpa a fortuna inflicta sibi vulne-
 ra essent, æquo, seu magno potius animæ feren-
 da sibi iudicabat.

Jam vero omnibus fortunis suis ita orbatus, ad
 Stephanum Regem totum se, quemadmodum
 ante etiam ostensum est, contulit. Is cum sua
 sponte magni virtutem, meritaque eius faceret,
 summaque eum clementia prosequeretur: tum ve-
 ro ab Illustrissimo Regni Cancellario & Exerci-
 tum Duce Jo. Zamoscio, qui & vnice virtutem
 eius amabat, & in cuius patrociniū ab initio
 Farensbach se contulerat, maxime in eam curam
 adducebatur, vt non modo superiorum tempo-
 rum merita ipsius, verum horum etiam proximo-

tum iacturam, quam ob suspicionem fidei, amicitiaque Polonica acceperat, quam liberalissime ei compensaret. Eo igitur potissimum auctore, promotoreque, Rex in primis Karkusiense territorium amplissimum pro, rio, hæreditarioque jure ei assignat.

Præfidatum etiam, quo nomine tum Palatinatus Livonici vocabantur, in Livonia omnium maximum, & primarium Vendensem, una cum Præfectura Tarvestensi, itidem inter non postremas Livoniæ: ultra hæc, præfecturam etiam Nobilitatis, militiæque Livonicæ honestissimo cum stipendio conjunctam illi confert. Ea autem cum proximorum Comitiorum auctoritate, atque scitu rata ei Rex præstare vellet, sub ipsa Comitibus jam indicta, magno incomparabilique vniuersæ Christianitatis damno, summo autem omnium bonorum dolore Rex moritur.

Novi igitur Regis electio instabat. In qua cum in duas partes regnum scissum esset, Farenbachius eodem summo regni Cancellario, copiarumque Duce Zamoscio, in cujus Clientelam ab initio privatim se contulerat, tum publice, eas etiam partes sequendas sibi statuebat, quas cum publica Regni Nobilitatisque libertate maxime conjunctas judicabat: eas nimirum, quæ præsentem Serenissimum Regem nostrum felicissimis auspiciis elegere, in ejusque Jure, dignitateque armis etiam tuenda, propugnandaque in adven-

tum usque, optatissimamque & lætissimam in augurationem ejus devictosque æmulo constantissime penes Zamoscium perstitit, Signaque ac ductum ejus secutus, magno illi in omnibus rebus agendis adjumento, usuique fuit.

Jam dudum quam brevissime, stricteque agere me debere sentio. Si enim quanto singula consilio, prudentia, animo, fide ab eo administrata essent, accuratiusque exponendum mihi esset, quantum in singulis rebus, actionibusque ejus immorandum mihi esset, facile intelligo: quemadmodum hisce ipsis Interregni temporibus, quantum ipsius non solum constantia, sed quæ singularis fides fuerit, non brevi oratione a me explicari posset.

Possem commemorare, quam multis rebus tentatus fuerit, quæ quemvis movere potuissent, nisi fides potior fuisset, non solum vindex avaræ fraudis, & abstinens ducentis ad se cuncta pecuniæ, sed periculorum etiam, terrorumque omnium contemtrix victrixque.

Verum cum longioris orationis fastidium molestiamque vitandam mihi putem, quæ reliqua adhuc sunt, quam brevissime etiam perstringam potius quam persequar.

Serenissimo igitur Rege præsentem cum divinitus incredibili omnium ordinum consensu, in solio suo ita constituto Farenbachius quoque,

qui in iisdem Coronationis comitiis, cum & vetera merita ejus in omnium memoria, & recentia in omnium oculis versarentur, omnium summa voluntate, atque comprobatione, & in jus civitatis Regni, Magnique Ducatus Lithuaniae interque indigenas Nobiles publica Comitiorum auctoritate receptus fuit: quo iure ad omnes honores non solum Livonicos, verum Poloniae etiam, Lithuaniaeque aditus ei patefactus: tum vero, quae ante beneficia Stephanus Rex ad eum detulerat, publice etiam ei confirmata: quae munificentia provocatus, maxime autem civis jam Regni Poloniae, & Magni Ducatus Lithuaniae factus, etsi ad pristinam ejus in serenissimum Regem communemque Rempublicam, fidem, studiumque nihil accedere posset, eo magis tamen omnes cogitationes, sensus, conatusque suos per omnem quae reliqua ei fuit vitam intendit, quo de ea patria quae & quam liberalissime illum excepisset, & quam ob alia complura ornamenta, tum maxime praedicare, & aliarum omnium gentium praeferre solebat, praeteris sibi delegisset, adamassetque, quam optime mereri posset. Itaque non mirum si quantum eam faceret, exitu ipso etiam suo, ut qui sanguinem, vitamque pro ea fundere non dubitavit, ostenderit. Verum de hoc paulo post narrandi locus erit cum quae reliqua sunt, paucis prius absolvero.

Mox igitur sub initium Regni præsentis serenissimi Regis, cum gravis belli Turcici, metus non tam fortuito oblatuſ, quam ab ipſo Tyranno magno cum ſaſu ipſo denunciatus Regno fuſſet. graveqve inprimis, ac periculofum omnibus futurum id videretur, ibi vel maxime virtutis ſuæ illuſtrandæ, animiqve in Rempublicam demonſtrandi campum ſe naſtum ratus, ſtipendiis publicis invitatus, ſelectiſſimo equitatu germanico mox comparato, ita copias eas, ſtudiumqve ſuum Joanni Zamofcio clariffimo tum Regni Ducis probavit, vt non minimum in eo copiisqve iſtis præſidii ponere ſe oſtenderet. Eſſi autem pace interim ſubſecuta ad prælium res non deſuenerit, tamen cum inſtructo paratoqve equitatu ultra Leopoliſ ad Ducem, reliquumqve exercitum progreſſus, ad omnia pericula forti præſentiqve animo pro comuni Republica excipienda promptum paratumqve ſe oſtendit.

Secutum aliquanto poſt tempus fuit, quo Carolo Sudermannix Duce Regnum Sveciæ invadente cum exercitu trajiciendum in Sveciam Sereniſſimo Regi noſtro eſſet, vt a patre majoribusqve Regnum ad ſe tranſmiſſum, a graviffima Tyrannide, tantoqve graviore injuria vindicaret, quanto minus expectanda illi fuerat.

Expeditioni illi, exercituiqve univerto nullum rectius Sereniſſimus Rex Sigismundus quam Fa-

rensbachium, præficere se posse statuebat. Itaque amplo stipendio invitatum, Ducem omnium copiarum illarum, bellique constituit.

Ille tantam fidem amoremque in Principem suum ostendit, ut stipendio honestissimo munus id susciperet, administraretque. Hic quid ego de exitu expeditionis ejus multa dicam? Vnum id commemorare satis est, quod sua sponte omnibus notissimum est: etsi eventus belli Serenissimi Regis, omniumque spem fefellerit, opinionem tamen, quam de virtute, animo, prudentia militari, fide denique, constantiaque FARENSBACHII omnes habebant minime quemquam fefellerisse.

Quantum n. in ipso fuit, in omni illa expeditione ita se gessit, ut nihil, quod vel a peritissimo Duce, vel exercitatissimo militi expectari possit, quisquam in eo desideraret, ipsiusque belli eventum, vel aliorum, ut quam lenissime dicam, remissio negligentiaque, vel fortuna, quæ in solius Dei potestate est, sustineret.

Jam tum ab eo tempore domum reversus Livonicam illam tempestatem, procellamque quæ a Carolo, Sudermannicæ Duce, nullo non modo denunciato bello, sed ne causa quidem vlla belli a Regno Poloniæ, Magnove Ducatu Lithuanicæ ei præbita, in Livoniam invecata fuit. mox multo ante animo prospicere cœpit.

Itaque & Serenissimum Regem & Illustrissimum exercituum regni Generalem, Joannem Zamoscium & ordines ipsos regni in tempore, ea de re, pluribus monere, utque imminenti malo tempestive occurrerent appellare non destitit.

Sed cum fatum quoddam securiores nonnullos redderet, tum non minus fortes opinio quædam de Carolo, quem et patrum regum et nulla injuria a regno Poloniæ accepta, nemo certe eo progressurum existimabat, ut regno Sveciæ, contra jus fasque interverso, non contentus sine vlla belli causa Livoniæ etiam regni Poloniæ provinciæ bellum inferret.

Quæ opinio cum plerosque in errorem induxisset, Carolusque ut in altissima pace nullis justis præsidiis provisus, in Livoniam irrupisset, atque repentino impetu Oberpoliam atque Pernaviam occupasset: Farensbachius tamen ex suis stipendiis aliquot cohortes mox contraxit, & e Nobilitate Livonica, qui in fide perstabant, evocatis, vnus fere tum maxime imperum tardavit.

Facile Carolus animadverterat, vnum illum maxime conatibus suis obsistere: itaque omnes vires suas in ipsum caputque ejus maxime etiam dirigit: arcem hereditarium ejus Karkusium aggreditur, summique viribus obsidet. Verum expertus est virum: ab oppugnatione rejectus,

profligatusq;: quoad Farensbachio in aliis partibus Livoniæ, ei occurrente perfidia militis præfidiarii, Medinscio Polono, cujus potissimum fidei arcem crediderat, fortissime contra nitente, contraq; fidem datam, tandem trucidato, in hostis potestatem ea venit.

Proditione ea, auri, argenti, omnis generis supellectilis congeries tanta, quanta a copiosissimo, eodemq; industrio, diligenteq; patre familias, viginti annorum spatio coaccivari potuit, maxime vero armamentarium etiã, omnis generis, armis, tormentis, instrumentoq; bellico instructissimum vno momento periit: quæ ille quidem in tempore facile transferre, inq; tuto collocare potuisset: sed cum is esset, in quem omnium oculi intenti essent, ac tota adeo Livonia spectaret, ne, si ipse privatim sibi fortunisq; suis consilium cœpisset, aliorum præsidiorum animi minuerentur, nutarentq;, cavendum sibi statuebat.

Jam vero cum semper magnum virum in vtraq; fortuna se ostendisset, hic certe admirabilem maxime se præstitit. Patria in summum periculum abducta erat, ipse omnibus fortunis exutus, earum recuperandarum vix vilam, aut certe longi, diuturniq; temporis spem propositam habebat: tantum tamen aberat, vt animo frangetetur, caderetq;: vt potius longe erectiore,

latioreq; everfis, quam falvis fortunis fuiſſet, animo eſſet.

Itaq; ſi recte ſapientem nonnulli definiunt in quem Domina rerum humanarum fortuna nihil valeat, cui cum maxime velit, nihil nocere poſſet, is certe Farensbaehius fuit: neq; ſecundis rebus vnquam elatus, neq; adverſis fractus: tantum vero abeſt, vt eo fortunarum ſuarum naufragio animum abjiceret, vt curam, ſtudium, animumq; hoſti reſiſtendi in dies magis potius intenderet: Virtus enim ſemper contra nititur, in generoſis præſertim familiis & interdum in ipſa calamitate attollit caput. Ac multis quidem Livoniæ locis feliciter rem cum hoſte geſſit, non minus vero ſub ipſis vrbeſ rigeniſis mœnibus. Venerat ad eam obſidione cingendam maximo cum exercitu Carolus, iamq; certa quaſi ſpe eam devoraverat. Urbem illuſtris Comes, ſupremuſq; magni Ducatus Lituanix exercituum Dux Jo. Carolus Chodkievicius tuebatur. Arci Farensbachius præerat, terra mariq; maximo conatu oppugnationem Sudermannix Dux aggreſſus, Chodkievicio ab vrbe, Farensbachio ab arce fortiffime hoſtem propulſante, turpem temeritatis ſux exitum habuit. Fuſus rejectuſq; Sudermannus, cum ad acceptam plagam, certum nunciū adventus regii accederet, mente mox concidit, præcipitiq; fuga in naves ſuas ſe projiciens,

salutem omnem suam in ventis, velisq; quæ vix tamen e manibus regiis eum eripuerit, ponendam sibi statuit. Ita Riga tum duorum sumorum virorum virtute Chodkievicii & Farenbachii, ut quem Chodkievicius ipse libenter in partem laudis ejus receperat, salutem, fortunas, vitamq; ipsam suam merito acceptam referre potest: quamvis ad Farenbachium quidem quod attinet, non primum id, novumve in Civitatem eam beneficium ejus fuit.

Cum enim anno supra M. D. octuagesimo nono tale seditionis incendium in civitate ea, auctore Nicolao Ekio, homine ad seditionem nato, exortum fuisset: quo nisi extinctum fuisset, omnino conflagrare civitatem necesse fuisset: Commissariorum imprimis regionum Severini Bonari Castellani olim Cracovien: & Leonis Sapiehæ, Magni Ducatus Lithuaniae supremi Cancellarii auctoritate, tum Farenbachii maxime opera, ac virtute, præsentis exitii turbas, motusq; compositos ac sedatos tum fuisse, quis non meminit?

Verum ad Ordinem institutum revertar, Caesareo ita a mœnibus rigensibus rejecto atq; in fugam præcipitato, Rexq; ut ipse de jure suo cum patruo impio armis decerneret, ad Rigam cum exercitu venisset, postquam ab hoste se non expectatum, nullamq; sibi pugnandi copiam factam

animadverterit, cum tam diu in Livonia perman-
 fisset, quoad Volmaria, in qua filium suum No-
 thum & Jacobum de la Garde Ponti filium, fir-
 mo cum præsidio Carolus reliquerat, recepta
 fuisset, illustrissimo Joanne Zamoscio ad Livo-
 niam reliquam recuperandam relicto, negotiis
 Regni præsentiam ejus requirentibus, ipse inde
 Vilnam, in Poloniam se recepit. Farenbachius
 autem per omne quod reliquum ei vitæ tempus
 fuit, a Duce exercituum Zamoscio nunquam dis-
 ccessit: inq; omnibus consequentibus expugnatio-
 nibus cum consilio, tum manu fortem, utilemq;
 ubiq; operam Reipublicæ navavit. Extremus ei
 actus ad Felinum fuit, cum ejus oppugnatione,
 summo omnium cum dolore cecidit. Qua de
 re prius quam dicam, ipsius Felini situs, natura
 loci, munimentaq;, paucis mihi describenda vi-
 dentur.

Felinum igitur Magistri Ordinis (seu potius
 Commendatoris) in Livonia olim sedes, in Mo-
 schi potestatem, cum magno conatu ac viribus
 frustra eam diu oppugnasset, stipendiarii tamen
 militis perfidia, vna cum ipso Magistro Fursten-
 bergio, pervenerat: a quo pacificatione Plesco-
 viense, auspiciis Stephani Regis per Joan. Za-
 moscium recepta primum, deinde in Livoniam
 Caroli irruptione haud dissimile fere ratione, præ-
 sidii nimirum pusillanimitate, Carolo tradita

fuerat: plerisque igitur aliis castris Livoniæ receptis, præsidioque firmatis, tandem ad Felini quoque oppugnationem ventum. Oppidum ipsum quamvis muro satis firmo, fossaque cinctum, primo impetu captum fuit. Omnem hostis spem in arcis firmitate, munitionibusque collocarat. Ea oppido contigua, duplici muro, fossaque cincta est, una exteriori, altera interiori, ita ut cum duæ quasi arces sint, singulaque muros crassissimos, turres firmissimas, ipsa vetustate duratas habeant, aggere ac materia, fossisque latissimis recens ductis egregie munitæ essent, peculiarem quasi oppugnationem singulæ desiderarent. Qua in campos despectum habet, a meridie lacu longe, lateque effuso cingitur, ab occidente & septentrionibus, præter fossas arte ductas, turrium murorumque altitudinem & propugnaculum ad medium murum e terra excitatum, cum flexuosis lateribus ad transversos ictus, prærupti præterea colles asurgunt, ut sine ingenti strage peditum, tormenta per eos subvehi, aut in iis constitui non possint. Admota tamen huc tormenta, frustra hoste circum cursitante, fortissimeque omnia tentante, cum oppugnatio a primâ luce ad decimam nonam horam durasset, parte muri dejecta propugnaculis labefactis, munitione proxima portæ incensa, quamvis frustra hoste sclopetorum tormentorumque procellam effundente teneri miles, inaxime autem

eqves, qui relictis eqvis cum pedite oppugnationis causa se conjunxerat, non potuit quin irrumperet.

Videre licuit Nobilissimos & Generosissimos eqvites, delectam juventutem amplissimarum familiarum Regni, peditum officio fungi amore patriæ victos præsentissimo vitæ periculo, cum in muros, turesq; eniti, tum in ipsum hostem acerrime invehî. Non tulit hujus modi juventutis impetum, ardoremq;, hostis, eodemq; quo oppugnare cœptus fuit, die, in interiorem arcem trepidus se recepit. Hic vero cum invictus sibi videretur, ad oppugnationem denuo nihilominus reditum fuit: turri vna & ædificio, quod ad latus hærebat concusso, quo occupato, munimenta illorum nova circumiri, illius ex latere peti possent: miles summo ardore mox eo advolat. Decem pervasere; alii præfestinatione condensati, ac in accessu tam difficili se turbantes, juvare illos, sicut opus erat, non potuerunt.

Farensbachius cum hære oppugnationem videret, præ animi ardore tenere se non poterat. quin ipse quoque procurreret. Sed tum quidem ab ipso Duce Zamofcio, alias Senatoris, alias milites partes esse monente, vix retractus fuit. Mihi quoque, qui illi aderam, omnibus precibus ab eo petenti, ne, in quo non suorum solum, sed vniuersæ patriæ salus magna ex parte sita esset,

præter rationem muneris sui, temere periculum hujusmodi se objiceret, stipulata manu vitaturum id se promittebat. Sed non multo post ipsum Ducein Zamoscium ad rem inclinatum restituendam progressum, baltheumq; ejus globo contractum, eodemq; a fibula resiliente pedem Illustriss. Stanislai Zolkievii Palatini Kijoviensis, Regniq; exercituum Campiductoris et Illustris Nicolai Comitis ab Ostrorog Castellani Beizenfis, perstrictum videns, imperare sibi nequivit, quin studio pugnandi proventus ipse quoque una cum Legato suo Volmaro a Mengden Livone Nobilissimo & animoso procurreret, oppugnantibusq; se inmisceret. Dum sui ipsius, omniumq; adeo, præterquam laudis, oblitus, animos nostris addit, oppugnationem instaurat, armis emicat, exitiabili vulnere per alvum & dextram e sclopeto accepto concidit, atq; in castra semivivus refertur

O spes fallaces, o cogitationes nostras incertas, o vitam multo incertiore! Quantus tum fletus, & gemitus toto exercitu erat, cum jacentem, moribundumq; Farensbachium videret, quem non solum difficili, necessarioq; tempore tanta scientia rei militaris, tanta virtute atq; auctoritate summo cum incommodo Reipublicæ eripi omnes dolebant, sed privatim etiam summo amore, & caritate quadam omnes prosequerentur.

Augebat mœrorem vox ejus animo jam, & corpore debilitati: Ne in auctorem cædis inquireretur, animadvertereturve, per Andream Srzedin-
scium rogabat, morte n. hac nihil gratius sibi accidisse, vt qui pro patria semper mori paratus fuerit. O vocem dignam quidem illam Farensbachio, omnibus tamen acerbam. Sed nolente fortassis Deo, vt tanti viri mors, quantumvis ita illi oblata, inulta maneret, ne sic quidem pœnas interfector ejus evasit. Nam cum sexaginta tantum Svecis fretus subsidio captivos aliquot Polonos, præmium rei bene gestæ a Carolo reportaturus, in Sveciam trajicit, ab inermi, & non maximo captivorum numero, inter quos Palatini Farensbachii Minister Joan. Corbius Colonien-
sis erat, trucidatus fuit: & quidem non sine exemplo vindictæ divinæ trucidatus. Nam cæteris occisis, & in mare ejectis; dum is solus reluctatur, & se defendit, cum jam e navi præcipitaretur, rudentem primum sinistra, mox ea amputata, dextra, ad extremum hæc quoque præcisa, dentibus mordicus arripit, quoad rudentem mordaciter retinenti cervix præcisa.

Verum vt ad institutum revertar, oppugnationem interea nostri urgere non desinebant. Cum crebris maximorum tormentorum ictibus undiq; mœnia concuterentur, jam per omnes arcis partes effusæ flammæ & ruentium tectorum fragor

tristissimum Svecis spectaculum apparebat. Desperatione inde omnibus percussis, de deditioe agi coeptum, convenitque. Germani cum armis, ne intra annum contra Regem eadem ferrent, jurati: Sveci Finnonesque inermes dimissi. Quidam ex Livonibus arbitrio regio permitti.

Non prætereundus fortassis hic casus erit, qui in ipso colloquio de deditioe intervenit. Quod per apertam tormentis domum irrumpendum nostris in arcem erat, pulverem tormentarium, quem nostris irrumpentibus postea incenderent, præsidarii subjecerant. Cum ad colloquium eo ipso in loco constitissent, pulvis e lino ut fit, sclopetarii incaute habito flammam concipit: non paucos exanimat, plures adurit: Præfectum arci Svecum in sublime elatum, ad nostrosque ejectum, ambustum, ad suos Zamoscus remittit, quod fidem tutos sub colloquium, liberosque a nostris fore, eis dederat. Dum hæc geruntur, Farenbachius vitæ suæ finem instare præsentens, testamento condito omnibus suis valedicit, adque fortitudinem, constantiamque in patria tuenda paucis hortatur. Tandem liberos suos Illustrissimis & Magnificis Joanni Zamoscio Duci, Stanislao Zolkievio Palatino nunc Kijoviensi & Campiductori: Nicolao Comiti ab Ostrorog Castellano Belzensi, cæterisque præsentibus, tum, quo nullum insignis constantisque amoris majus argumentum esse

poterat, me quoque fortunasque meas diligentissime commendat. Verum in me quum constans amor ejus fuerit, postea dicam. Liberis autem suis, ut patre, omniqve ope destitutis, summa fide, auctoritate, amore, ne deesse velent, orat, obsecratque. Duos autem superstites filios reliquit, vnum Volmarium, alterum Joannem: vtrumq; militiæ deditum. Filiam vero Magdalenam, quæ quemadmodum moriens ipse literis a Sereniss. Rege petiit, in Gynæceum Serenissimæ sororis Regiæ recepta, omnibus summo genere nata dignis virtutibus excolitur. Literis etiam ad Sereniss. Regem, non nullosque Senatores in eodem mortis articulo datis, & a se subscriptis, liberos suos commendare non destitit. Quibus hunc ad modum ordinatis, inter amplexus summa dignitate vtriusque Ducis Zamolcii & Zolkievii, magna constantia, sine vlla doloris significatione, in lenissimum quasi soporem delatus expiravit, atque ita a nobis abiit, ut in toto exercitu maximum luctum, gemitumque relinqueret.

Hic exitus vitæ præclarissimæ actæ, nec minus præclare finitæ, inter Livones summi atque æterna memoria digni viri fuit. De cujus excellentibus virtutibus, si omnia dicere velim, quæ dici deberent, vereor ne nimis longa oratione utendum mihi sit: cum tamen silentio eas sine cri-

mine nullo modo præterire me posse existimem; operam certe dabo, ut quam brevissime, & paucis percurram eas potius, quam uti quidem merebantur, recenseam.

Atque indicium quidem earum, cum ipsa corporis, formæque dignitas, quam summam ei natura tribuerat, vultusque ejus erat. Quemadmodum enim speculum corporum imagines, ita vultum fere animi vitia, virtutesque præ se ferre, quis ignorat? Erat igitur forma decente, statura non sine dignitate procera, altaque tum ad labores ferendos firma, robustaque, atque ut vno verbo dicam, vere militari. E vultu autem ipso animi magnitudo summa cum probitate, modestiæque conjuncta elucebat, maxime autem ut ab omni gravi injuria abstineret, cavebat: nulli unquam cladis, calamitatisque alicujus auctor fuit: multos ab injuria potentiorum præsertim defendit, tutatusque fuit. Injuriarum vero sibi illatarum, inimicitiarumque mirificus contemptor, vilis animi ultionem existimans. Ne vitæ quidem suæ insidiatores, cum posset, ferro persequi voluit, sed suo potius fato permittendos recte judicabat.

Jam vero in consiliis quæ prudentia, quo rerum plurimarum, maxime autem bellicarum, vultu fuerit, quam forti in periculis animo, si dicere velim, vereor ne inepte id facere cuiquam videar.,

cum res ab eo gestæ, totaque vita, etiam me ta-
cente, satis per se ipsæ testentur.

Ab ebrietate per omnem vitam abhorrens: sobrietate, quæ rara alioquin inter milites virtus esse solet, tanta fuit, ut ad decimum nonum ætatis annum abstemius fuerit, nunquam vino, crapulæve indulgeret, quin potius omnes ingenii, animique ad altiora tendentis vires ea extinguere, lumen hebetari, planeque homines in pecudes ea transformari vere statueret. Etsi autem a computationibus & naturæ quodam instinctu, & animo, atque instituto maxime abhorreret, quoties tamen temporibus, & conviviiis, ne plane agrestis, atque ab omni humanitate, seu hominum consuetudine alienus esse videretur, dandum ei aliquid erat, ne in effusam tamen ebrietatem prolaberetur, omni studio cavebat.

Castitatis, omnisque honestatis per universam vitam suam, retinentissimus fuit. Quas virtutes vel ipsa verecundia in eo indicabat, quæ tanta erat, ut quemadmodum ante commemoravi, ore, vultu ipso denique eluceret. Itaque cum maxime omnes in eo virtutes essent, Justitia, Prudentia, fortitudo, temperantia, integritas: quasi propria tamen quædam, nativæque ejus verecundia esset, reliquasque omnes in eo virtutes nescio, quonammodo amabiliore, gratiorisque redderet. Cum n. magno & invicto animi robore esset

maximis autem corporis viribus polleret, tantum tamen abest, ut quod plerisque accidere solet feroces unquam spiritus gereret, ut summa potius morum ejus suavitas, humanitasque esset.

Literarum sane, linguarumque externarum expertus fuit, cum tempora patriæ ejus Livoniæ ab aliis studiis ad arma eum mox avocassent. Sed tamen tantum ingenio, naturali quædam prudentia valebat, ut sæpe maximis in rebus viros eleganter eruditos, ingenio superaret, & nativo quodam mentis lumine ac dexteritate non raro aliis in consiliis præluceret: tum vero & usum pulchritudinemque literarum agnoscebat, & literatos summo amore ac honore prosequeretur: cum exteris autem maxime Polonis & Lithuanis etiam sine ulla linguæ commercio, cum præter germanicam, & esthonicam omnium aliarum ignarus esset, nulla omnino per tot annos offensione, nullis inimicitiis, nullo odio, maxima cum gratia, summa cum auctoritate semper vixit.

Nullus omnino in eo fastus erat, nulla vanæ gloriæ cupiditas, nullus aliorum contemptus. Itaque quid mirum, si non modo charissimus apud omnes esset, sed ad eam deinde dignitatem pervenerit, ut e Livonibus secularibus in Senatum Regni Poloniæ cooptatus, Palatinus Vendenfis primus factus fuerit: qui gradus cum aliorum regnorum Principibus non immerito comparari

potest. Is nimirum vir erat, qui ubicunque locorum esset, virtute fortunam sibi facere posset. In amicitiiis autem qualis fuerit, quid necesse est multis me dicere, cum quanta constantia, fideque eas coluerit, nemo, qui eum noverit, ignoret? Vero ego duo saltem constantiæ eius in amicitia exempla ponam: Jo. Zamoscium suum Regni Cancellarium & Generalem militiæ præfectum, cum post Deum, serenissimumque Regem, maxime coleret, ut in cujus clientelam ab initio se contulisset, multi illum, maxime interregni tempore et præmiis, et terroribus propositis consuetudine ejus abstrahere conantibus, nihil omnino apud eum perficere potuerunt, quoad tandem mors ipsa a necessitudine ejus illum avelleret.

Inter alias enim virtutes grati animi memoriam vel maximam judicabat: neque ipse solum, ut quam gratissimus semper pro acceptis beneficiis esset, operam dabat: verum ingratos, si quos cognovisset, tanquam eos, quos fontem benignitatis exhaurire, & pro hostibus Societatis humanæ habendos duceret, summo odio prosequeretur.

Me vero cum omnibus rebus multo se inferiorem in amicitiam recepisset, per integrum decennium, ex quo me in familiaritatem suam adsciverat, confirmare possum, eundem semper vultum studii, amorisque in me summi, indicem.

me agnovisse, nulla unquam offensione, animi-
ve mutatione interveniente.

Quam rara ea constantia sit, non norunt ii,
qui Principum familiaritatem amicitiamque exper-
ti aliquando fuerint. Vir in maximis fortunis,
summa dignitate, honoribusque constitutus, me
inferiorem nulla temporis, vel voluntatis inter-
missione ita dilexit, ut cum non deessent, qui in-
ter nos variis delationibus, assentationibusque
dissidium excitare vellent, primum delata ipse
vltro plerumque dilueret, deinde eodem tamen
illa ad me referret.

Nimirum Farenbachius leges amicitiae non le-
gerat, non didicerat, non audierat, sed (ut verbis
summi oratoris utar) ex natura ipsa arripuerat, hauserat,
expresserat: non doctus ad eam sed factus: non
institutus, sed imbutus fuit, ut neque patere sineret
aures delatoribus, neque crederet delatis, & ami-
cum nihil eorum latere vellet. Itaque tot an-
norum spatio nulla illum vel minima re mea,
vel me illius aliqua, offensum sentire potui.

Ab injuriis, insidiisque atque adeo ex potesta-
te inimicorum non auctoritate solum, sed opera
etiam, interventuque suo, vnus fere me eripue-
rat: injuriam meam, suam putabat.

Offerebantur illi non semel amplissima ab ad-
versariis meis munera, ne mea injuria, qua me
affecissent, tantopere moveretur: sed rejiciebat

ille alto dona nocentium vultu. Et per obstantes catervas explicuit sua victor arma: in omnibus rebus, maxime autem in amicitia quaestui, utilitatiq; honestatem semper praeferebat. Hac amicitiae, voluntatumq; conjunctione factum est, ut inter alios, & magni quidem nominis viros, me quoq; liberorum suorum tutorem quamvis repugnante, esse vellet, scriberetq; quantum de studio, fideq; in se mea sibi polliceretur, testari non dubitavit.

Omnium vero maximum constantis in me voluntatis suae argumentum moriens jam ostendit. Adstabant morienti duces belli, nonnullique alii primarii viri illustres, in primis liberos suos, tum me iis singulariter commendabat, ut patrocinium mei susciperent, ne ab adversariis meis opprimam me paterentur vix non flens rogabat.

Ingenus sine vilo fuce, sine vlla invidentia, quam fidelem ac utilem Regiae Majestati, Reipublicae bello eo livonico, in compluribus arcibus, praesidiisque Legatione & studio meo in potestatem R. M. reducendis operam navassem praedicabat: injuriaeque magnitudinem, qua praeter fas, aequumque ab adversariis meis premerer, commemorabat. Quanti mihi hic testimonium id meritis meis ab illo tributum, faciendum, quis existimet? Quis dubitare potest, vere & ex animo, & quasi juratum id dixisse, qui cum vivus ab omni simulatione, vanitateque alienissimus esset, in ipsa

extrema vitæ linea id protulerit? Ultimi gradus vitæ verissima oratio est.

Jam vero non satis hoc illi erat, nisi apud absentes etiam, & post mortem suam testatum judicium de me hoc suum relinqueret. Iisdem literis, quibus liberos suos, fortunisque eorum Serenissimo Regi, absentibusque nonnullis Senatoribus commendabat, non minus diligenter pro mea salute, fortunisque meis, apud eosdem contendit. Quid hic mea causa non facturus erat vivus, cui vix jam spiritum ducenti, & morienti tantæ curæ res meæ fuerint?

Hisce igitur tot, tantisque beneficiis tuis devinctus, o magne & perpetuis mihi lachrymis prosequende Senator, obliviscarne tam constantis in me voluntatis tuæ? Prius vel terra mihi dehiscat, vel spiritus hos deserat artus. Tibi me, tuo nomini, tuæ memoriæ, totum dedo, quicquid valeo ingenio, tuæ laudi defero, atque utinam tantum ingenio, dicendique facultate valerem, quantum vellem, semper certe honos, nomenque tuum, laudesque manerent: exciperat eas omnium consequentium annorum memoria: de te semper omnes gentes loquerentur: nulla unquam obmutescet ætas.

Verum ego quidem si non quantum volui, saltem quantum potui me præstitisse, officioque in præsentia functum existimo.

L I T E R Æ F A R E N S B A C H I I

AD SACRAM REGIAM MAJESTATEM.

Sacra ac Serenissima Regia Majestas,

Domine Domine Clementissime.

Extrema officia mea S. R. Majestati Vestræ
commendo.

JAM jamque moribundus, & Regis & Domini mei Clementissimi imploro misericordiam. Filiam meam (unicam) in tanta orbitate, ut inclementissimam tutelam suam regiam suscipiat, Serenissimæque sorori suæ in famulitium, contuberniumque tradat, vehementer supplico. Filios orbos parentibus, exutos fortunis omnibus, naufragos portæ misericordiae suæ recipiat, si S. R. Majestati Vestræ, si Reipublicæ semper magis, quam mihi met vixi, si pro dignitate S. R. Majestatis Vestræ, Reipublicæque vitam profudi. Pollet S. R. Majestas Vestra plurimum memoria: meminit mearum lachrymarum in suo a Wolmaria discessu; meminit ter datæ dextræ mihi suæ: meminit benigni promissi sui, liberos meos promovendi. Hanc memoriam semianimis adpello; hanc animam agens contestor: huic me, meosque commendo. Extrema illa est supplicatio mea, quam cupio apud S. R. M. V. valere, ne quantum

Justitiæ sanctæ, æquitatisque feret ratio, Generosi Domini Davidis Hilchen, Secretarii S. R. M. V. & Notarii terrestris Vendenſis cauſæ deſſe velit; is Reipublicæ præclaram, ac vtilem, mihi vero ad extremum vitæ meæ ſpiritum neceſſariam operam navavit: liberorum rerumque mearum eundem Curatorem reliqui, ſine jactura inſigni liberorum meorum præmi non poteſt. Velit eum S. R. M. Veſtra ſublevatum: det hoc mihi mortuo, largiatur liberis meis vivis. Quod reliquum eſt S. R. Majeſtatem Veſtram intermorta voce ſaluto, diuturnam incolumitatem, & ſecunda omnia ipſi a Deo immortalis comprecando. Datum in Caſtris ad Felinum die 7 Aprilis. Anno Domini 1602.

Fideliffimus

Subditus & Servitor

Georgius Farensbach.

Manu moribunda.

EIUSDEM

Ad Conſiliarios Regni et Magni Ducatus Lithuaniz

Beverendiſſimi Illuſtriſſimi illuſtres ac Magnifici Domini. Amici honorandi.

Extremum agens spiritum, & vitam, quam naturæ debebam, pro dignitate S. R. Majestatis, & Republicæ profundens, extremum dico vale Illustr. ac Magnificis D. Vestris: deinde comendo liberos meos, & peculiariter filiam meam, miseros, afflictos, inopes, fortunis & parente orbatos. Ostenderunt Illustr. ac Magnific. D. Vestræ singularem amorem erga me vivum, ne pectore Illustr. ac Magnific. D. Vestrarum elabar, oro. Non omnino deserti & pupillierunt patrocinio Illustr. D. Vestrarum contacti. Plura morienti non licuit. Vnum etiam magnopere peto: generosus Dom. David Hilchen Secretarius R. M. & Notarius Terr. Vend. vtilem ac fidelem Republicæ operam bello hoc Livonico navavit, & is mihi extremo vitæ meæ tempore præsto fuit. Velint pro auctoritate sua eum quam maxime apud S. R. M. sublevatum & adjutum. Certe indigne ab adversariis suis premitur. Sine jactura autem liberorum meorum premi non potest: rerum n. mearum Curatorem eum constitui. Interum me quidem ipsum sed multo maxime liberos meos, Illustr. & Magnific. D. Vestris comendo. Ill. Magnific. D. Vestras illis defensores ac tutores relinquo. Datum ex Castris ad Felin. 17 Maji A. D. 1602. Illustr. Magnific. D. Vestrarum
servitor

Georgius Farenbach manu morib.

EPITAPHIUM

AB ILLUSTRISSIMO

Heroe Zamoscio eodem die quo Palatinus-
Vendensis concidit, exaratum
in Castris ad Felinum.

Imberbis patriæ fato ablegatus ad hostem
Moschum detineor. (Mars quoque pressit eum
Armis dissidiisq; simul) placuiq; superbo
Hero dum scythico sanguine tingo manus.
Cæsaris Æmilii summi mox castra sequutus
In Turcas, post me Danica terra fovet.
Pro patria nostra ad Stephanum regem arma mo-
Veni, rem gessi fortiter atq; pie [ventem
Juncta hæc Sauromatis Republica cordi erat vna,
Propter quam amisi præmia, Daue, tua.
Libertatis amans Sismundo Rege creando
Pro hoc tunc pugnavi trans mare: post iterum
Turbatis graviter Livonum res dum gero, fudi
Vitam, & opes, opto publica res vigeat.

EJUSDEM

Hic situs est Farensbachius, tum pectore & armis
Magnus, tum prudens, maximus atq; fide.

TUMULUS FARENSBACHII

Crebra Farensbachius tulit arma Georgius, illa
antiqui generis nova lux, nova gloria gentis

Livoniæ: nunquam dubitavit adire periculum vi-
tæ pro Patria, pro Regno Regis utroq. Bellis
emerfit, nunc & post funera vivit: postquam
militibus mixtus superare Felinum nititur, afful-
tu captum est, glans unica canna æ Ejus & ig-
nivo mæ rupit per vulnera pectus.

David Hilchen fec.

EPIGRAMMA

Ad Generosum Dn. Davidem Hilchen
Notarium Terr. Vend. S. R. Majestatis
Secretarium.

Hilcheni, mirerne Tribuste Hastilibus, olim
Armatum Arctoi viribus esse Dei?

Prævidit sapiens Rex, pugna volubilis esset

Quæ tibi cum monstris quondam obeunda tribus,

Nam tum dira statim Livore Calumnia juncto,

In tua conspirans funera, fœdus init,

Nec mora, pro veteri referens mala præmia facto

Bellua se sociam jungit, & arma parat

Prospiciens Rex ista, tribus tres hostibus hastæ

Sufficient, Virtus sola tenebit, ait.

Tum læta invictas tollet Patientia cristas,

Sparget et æterno flore corona genas.

Salomon a Frencelius a Fridental

fec.

APPENDIX.

Magni Ducatus Lithuaniae suūno Cancellario
 Leoni Sapiehæ
 Dav. Hilchen.

Illustrissime Domine: benefactor gratiosissime.

Nunc primum rescivi Ill. D. V. in Regia esse. Excusandus igitur sum, quod tardius scribo, quam debebam. Quantum autem dolorem ex inopinato Ill. Herois Zamoscii casu, absens perceperim, luctus meus hîc primum editus, & nunc in Germania recusus facile ostendit, quem Illustrissimæ D. V. mittam, si nondum vidit. Non enim dubito quod Ill. D. V. doloris & amoris erga defunctum *εμοζυγον* habeat. Amisit enim Ill. D. V. collegam: sed habet quo se consoletur, meus autem luctus non tollitur. Sole enim meus occidit. In hac tanta calligine quem advocem? Certe præter Ill. D. V. video fere neminem. Obsecro igitur ut pro veteri suo erga me affectu mihi consulat, & gratiam S. R. M. in hac occasione *επαυος* pompæ regalis præbet, si melior non est, conciliet. Non enim obscurum est, Ill. D. V. apud regiam Majestatem esse eodem loco, quo Pallas olim Jovi. Natura benignus & facilis esse solet Ill. D. V. sit nunc in me etiam oro. Deus vicissim omni genere felicitatis Ill. D. V. fortunabit. Ego vero non modo gratum, sed utilem Ill. D. V. me, dum vivam

præstabo. Interim Ill. D. V. gratiam & benevolentiam suam conservet mihi vt patronus clienti suo. Zamoscio. 16. Decembris 1605.

IOANNI ZAMOISKI

Regni Cancellario & Exercituum Duci Generali
Ex arce Novogrodensi
G. Farensbach.

Heri desperaveram de re tota, ita adversari nobis omnia videbantur. Sed legati commendantes tantam Ill. D. V. humanitatem, tantam liberalitatem, fregerint primam glaciem. Summa luce ablegavi hominem Norbek dictum, quem cum Schoto charum esse audivissem, promissione 10 colonorum in Novogrodensi districtu assignandorum conduxì, vt extrema tentaret. Annuit, ingressus, literas cum affectu a Notario scriptas ad Vitingum recte reddidit. Eoq; jam res perducta fuerat, vt nisi Scotus se dedisset, illi de capite dimicandum fuisset. Sed ille animadversa Livonum conspiratione in suam perniciem facta, consensit in deditionem, quæ jam re ipsa facta est. Ingressus sum cum Domino Lesnowio & Notario Vendensi arcem: claves mihi Vitingus cum summa alacritate tradidit: quas mandatum Ill. D. V. sequutus credidi Wolmaro Mengdeno Vicario Corbii: armis depositis denuo jurarunt Sveci Finnoneseq; , aurum datum

est singulis. Cum rumor irrepsit de subsidia-
 rō milite huc appropinquante, per Ancen eos
 deduci jussi, ut Ill. D. Vam videant, & videantur
 ab ea. Sunt qui servire S. R. Majestati velint,
 sunt etiam qui nolint. Retinendos eos potius,
 quam dimittendos putarem. Sed nihil hic co-
 actum esse oportet. Equis suis devehit res Fin-
 nonum Dn. Liesnowius curat, si perrexerint,
 providendum erit de recentioribus. Scoticus
 Capitaneus deducitur ad Ill. D. V Vir est, sed
 Carolo addictissimus. Vitam & rem ejus salvam
 fore spondi. Pedites Vngaros hic Dn. Lies-
 nowius relinquit 20, quibus præfecit Dn. Gores-
 ki ne metas excedant. Laudanda esset pluribus
 hic Livonum præsentium mira perpensio & ala-
 critas. Laudanda esset militum quoque Polono-
 rum tolerantia & animositas. Laudandus quoque
 esset Clodius ob fidem singulariter præstitam.
 Sed coram rectius ista exponentur. Sine crimi-
 ne omitti non potest laus, quæ certe Vitingo de-
 betur præ cæteris. Is cum sanguinis effusioni
 peperciisset, nutare, animumque mutare videbatur.
 Sed isto homine nihil constantius, vix se conti-
 net, quin ad Ill. D. V properet, sed æger ad-
 huc est. Aderit tamen brevi. Interim se suos-
 que Ill. D. V venerabunde commendat.

Restat jam ut Marieburgam tentetur. Cras
 eo Notarius Vendensis David Hilchen ibit, quem

variatio Novogrodensis valde perturbaverat. Spero eum recte omnia & feliciter effecturum. Adferuntur illi Riga tristia, quod Rigenses non desinant furere in rem ejus familiarem & domesticos. Ille tamen alacriter pergit in suo cursu Reipublicæ serviendi. Rogo Ill. Cels. V. ut præsens illi remedium adferat. Facile id erit Ill. D. V. si vultum ipsis iratum ostenderit. Sed hæc benevolentix Ill. D. V. committo. Vnum adhuc rogo Ill. D. V. ut hujus viri, qui hasce reddet (Finno est Exul nobiliis Regi fidus Magnus Iwerson) rationem præsentem habeat, ob fidem Regi servatam, omnium fortunarum suarum jacturam passus, non habet unde amplius vivat.

Datum ex arce Novogrodensi 2. Februarii A. 1602.

(Hanc epistolam concepit D. Hilchen.)



Pag. 48 l. die 17 Maji.